llanea

genda

PIETAS ERVDITA. SEV ORATIO

De perpetuo & indissolubili Pietatis cum Eruditione, Eruditionis cum Pietate nexu.

In publicâ Studiorum Academicorum instauratione, ad Ædes S. Annæ, aramq; D. Ioannis Cantii, S. Th. D. & Prof. in Acad. Crac. Die 15. Cal. Nouẽ. 1638.

A B

Illustri ac Generoso Dño. IOANNE, ALBERTO Paris, Studioso Rhet.

Habita sub auspiciis

M. JACOBI KVBITKOWICZ, PHIL. DOC. Rhetoricæ Nouodworsciani Professoris.

CRAC: Typis Antonij Wośinski, A. 1638.

Gregorius in Libr: Moralium.

Nulla est scientia, si vtilitatē pietatis non habet, & valde inutilis est Pietas, si scientia discretione caret,

Lactantius lib: 3. cap: 30.

OMnis sapientia hominis, in hoc vno est, vt DEVM cognoscat & colat. Hoc nostrum dogma, hæc summa est? Quanta itaq; voce possum testificor, denuncio, proclamo: Hoc est illud, quod omnes Philosophi in totâ vitâ suâ quæsierunt, nec vnquam tamen inuestigare valuerunt, quia Religionem, aut prauam retinuerunt, aut totam penitus sustulerunt. Qui vult igitur sapiens esse, audiat DEI vocem, discat iustitiam. &c.

Perillu-

Perillustribus Generosis ac Magnanimis

Genere, Studio, desiderio nobilissimarum virtutum, Maiorum suorum hæredibus.

D. Adamo, Hieronymo à Granow SIENIAWSKI, Supr. Regni Vexilliferidæ.

D. Ioanni Potocki de Potok, Palat: Braclau. Capit. Came. Latic. Litin.

D. Ioanni Alberto Paris, de Pariseuo, Castell. Cernensi.

D. Christophoro Francisco Sapieha de Maciciow, Succam: Vlodimir.

D. Martino Kraśicki, Comiti in Kraśicin. Capit. Dolin. Vexill. Halc.

D. Adamo Drzewicki, de Drze:

D. Stanisl: Dąbski, de Lubraniec.

D. Zbigneo Zelenſki, de Zelonka, Pocillatoris Bracłauien. Filio.

D. Alexandro de Załuſk Załuſki, Filio Pincernæ Rauen. Vicecap. Opoc.

D. Georgio Marćinkowſki, de Marćinkowice, Filio Subdapif. Crac.

D. Adamo Tarnowski, de Tarnow.

D. Chriſtophoro Skotnicki, de Bogoria.

D. Hieronymo Komornicki, de Komorniki.

D. Ioanni Skarbek, de Domo Habdank.

D. Alberto Staniſzewſki.

D. Stephano Leduchowſki, Iud. Cremen. filio.

D. Andreæ Tudorowſki.

D. Ioanni Brzezinſki.

ORationē de piâ eruditione, nuper linguâ viuoq; ge-
stu, nunc rudi expressam calamo, Vobis Perillustres
ac Magnanimi Iuuenes tantò mentis affectu consecro, quā-
tò maiora sunt & candidiora secundum Parentes, Præce-
ptorum quàm aliorum hominum vota ac desideria. Nimirū
non breuem, vel momentaneam, sed assiduam & perpetu-
am geminæ istius virtutis, quâ nulla maior & præstantior
in terris cogitari potest, cuperem esse memoriam atq; præ-
dicationem: apud eos præcipuè, qui propter illustria maio-
rum merita, summā prosapiæ excellentiam, sublimes & he-
roicas animi atq; corporis facultates cæteris sunt longè di-
gniores. Est namq; iustissimum, vt isti auctiora sibi ingenij
& virtutum conquirant monumenta: quorum præcellen
ti pietate, insigni prudentiâ, maturo consilio, salutari pro-
uidētiâ, non Respublica modo, ad cuius præsidiū & ornamētū
crescunt amplissimum: sed etiā cōmunis Christianorū Pa-
rens Ecclesia, suas est aliquando aduersus iniquissimos im
postores firmatura & promotura immunitates. Iam vero
nemo tutius & prudentius siue Rempublicā, siue Ecclesiam,
siue vtrumq; simul, tueri ac promouere potest, nisi verus
pietatis & eruditionis alumnus. Accedit quod non publica
solum, sed etiam priuata, ex pietate atq; eruditione proma
nent emolumenta: quæ cum ex ipsâ oratione pateāt euiden-
ter, à me fastidii vitandi causa facile omittitur. Ego in-
terea non tam officii necessitate (nullis enim ob singularem
Vestram indolem indigetis stimulis) quàm affectu beneuolo

& propensissimâ voluntate commotus, Vos Magnæ spei Adolescentes, eà quâ par est fide monitos esse volo, vt quā pietatis, ingenii, magnanimitatis, aliarumq; virtutum lucem in palæstram Rhetorices intulistis, eandem atq; adeò maiorem inde efferatis, & dum per ætatem ac tempus licebit, in Rempub. laudabiliter conferatis. Te potissimū Perillustris ac Magnifice SIENIAWSKI, vnicum SIENIAVIORVM lumen & columen, spes Reipub: nostræ certissima, inclytum, inclyti huius Athenæi Sarmatici ornamentum, eximium nostræ Palæstræ decus, meum vero singulare delicium intimè hortor & obsecro, vt istâ bonæ indolis atq; corporis pulchritudine, quam à naturâ aut potius ab autore naturæ liberaliter hausisti, præluceas nobis diutissimè, iucūdissimè, felicissimè. Non est quidē vt verū fatear, excelsæ indolis tuæ, aliarumq; singularium virtutū capax Palæstræ istius humilitas & angustia: sed iuuenum florentissimorū ingenia sunt capacia: quæ sensim eas comprehendent, comprehensas laudabunt, laudatas toti orbi dicent & enarrabunt. Cæterum quod maximum est propensionis meæ erga te argumentum, Deum Op: Max: omnium bonorum largitorem & moderatorem supplex exoro, vt longissimè viuas, vigeas, floreas. Ad Ecclesiæ Dei propugnaculū, Reipublicæ præsidium, Academiæ decus & solatium, illustris familiæ incrementum, hostium terrorem, optatæ pacis firmamentū, vtq; omnia quorum præclaro teneris desiderio, lætus incòlumis, gloriosus possideas ac tuearis.

Fautoris; M. Iacobus Kubitkowicz, Phil: Doct: Rhet: Nou: Professor.

ORATIO.

VT conatus nostri & quotidianæ in studijs lucubrationes succedant felicius, Magnifice & Admodū Reuerende Dn̄e Rector, Florentissimi & Nobilissimi Iuuenes, cæteriq; Audit. ornatissimi, qualibet commutatione nostrorum innouationem studiorum, precibus deuotissimis, & solennibus ad tremenda altaria sacrificijs, ceu firmissimis scientiarum præsidijs confirmamus. Indignum quippe ne dicam impium esset, in sacratam Palladis domum, in superiores Musarum ædes, in domicilium scientiarum temerè ingredi; eius ope & auxilio non implorato, qui est autor omnis sapientiæ ac eruditionis. Præsertim cum tantum quisq; nostrûm in scientijs comparandis experiatur facilitatis, quantum in discen-

diſcendo adhibuerit pietatis: tantum ſolidæ acquirat doctrinæ, quantum diuinæ præſtô habuerit benedictionis. Nam in tantâ ingeniorum noſtrorum imbecillitate, voluntatum varietate, ſcientiarum difficultate, vix quiſpiam mortalium, immò ne vix quidem, proprijs viribus veram compararet eruditionem, niſi Spiritus ille diuiniſsimus, Sciẽtiarum largitor optimus, communibus ijſq; feruentiſsimis placatus votis, cælitus humanas mentes illuminaret, confirmaret ſenſus, ſcientias illuſtraret. Hæret enim vt pote altè impreſſa caligo quædam ignorãtiæ & obliuionis in mẽtibus noſtris, profectumq; noſtrum tantò potentius remoratur, quantò diutius in nobis commoratur. Hanc vero præter ſupremam illam ſplendidiſsimam ac puriſsimam mentem, quæ ſuaui ſed ignotâ ſerie diſponit ac moderatur vniuerſa, nullus feruor, nulla indoles, nulla tam felix conten-

tio, nullus inſuper rectæ inſtitutionis modus, non dico euellere, ſed ne conuellere vnquam poteſt. Iſtud quoq; præclarã hanc & inſignem commendat conſuetudinem, quod ex tam piâ ſtudiorum inſtauratione, longè maiora Religio Chriſtiana accipiat incrementa. Cum enim præcipuus ac primarius ſit (vt doctorum virorum communis probat conſenſus) omnium ad Virtutum & ſcientiarum poſſeſſionem impetu glorioſo contendentium, ſcopus, cultus diuini & veræ Religionis propagatio: nullâ profecto ratione ſtudioſa iuuentus, iſtum quem in animo propoſuit finem, commodius aſſequitur, atq; dum à primis ſtatim adoleſcentiæ rudimentis, non priuatim ſolum, ſed etiam publicè ſuam in Deum & Religionem pietatem teſtatam facit. Creſcit namq; & in dies certum accipit augmentum eximius iſte pietatis affectus, ſimulq; cum ætate & eruditione optatam ac-

quirit maturitatẽ. Igitur non ſolũ obſeruãda ſed etiam debitis celebranda præconijs, tam eximia inclytæ Parentis & altricis ingeniorum Academiæ conſuetudo, quod alumnos ſuos in ſolenni ſtudiorum renouatione, non prius ad ſuperiora Gymnaſia introducat, quàm veterem rubiginem per otium, languorem, negligentiam contractã, ceu veteres exuuias ad aram Præſtitis noſtri D. Ioannis Cantij depoſuerint: atque per eius, & aliorum Sanctorum merita glorioſa ſuæ imbecillitati præſidium, & auxilium implorauerint. Quod ipſum vt quilibet noſtrûm cum maiori efficiat feruore, & ſtu dio feruentiori, conabor oſtendere Almam hãc bonorũ ingeniorũ parẽtẽ, fidelẽ & conſtantem nobilitatis altricẽ Academiã, in hac publicâ ſcientiarũ inauguratione, in hac ſolenni ab inferioribꝰ Scholis ad ſuperiores promotione, nihil à nobis magis expoſtulare, quàm vt pietatẽ cum eruditione, eruditi-

onem

onem cum pietate nexu arctiſsimo, vinculo indiſsolubili coniugamus. Vos modo antequam vlterius progrediar oro & obteſtor florentiſs. atque nobiliſsimi Iuuenes, vt me de rebus huic loco tempori, tum & ætati veſtræ accomodatiſsimis verba facere conantem, humaniſsimis quæ veſtra benignitas eſt, auribus proſequamini.

NEminem veſtrûm in hoc confluxu nobiliſsimo arbitror reperiri, quem ita vel temeritas, vel ignorantia, vel vt clarius dicam mentis quidam ſtupor & prauitas, ab honeſtatis officio & rectæ rationis dictamine auocet, vt pietatis Chriſtianæ exercitium, cultumq; Dei integerrimum neget in omni ſtatu hominum eſse adhibendum, alumnis vero literarum tantò magis neceſsarium, quantò eorum ætas & conditio melioris indiget inſtitutionis. Cum enim ſtudioſi iuuenes, vt ex ipſâ nominis ſignificatione patet euidenter, ſuam deductionem exinde

ſortiantur, quod omne ſuum ſtudium, co-
natum, diligentiam, virtutibus & ſcientiis
comparandis impendant: facile quiſque in-
duſtrius animo poteſt coniicere, eos omnes
non benè nomini & omini ſuo reſpondere,
qui ſine pietate, quæ eſt præſtantiſsimum
donum mortalium, inſignem aliquam & e-
ximiam comparare volunt eruditionem.
Pietas ſiquidem eſt literarum fundamentũ,
bonæ indolis nutrimentum, norma diligen-
tiæ, magiſtra vitæ, radix & retinaculum
virtutum, lumen ingeniorum, parens lauda-
bilium actionum, fons omnis felicitatis, cer
tiſsimum futuri profectus argumentum, &
vt vno complectar verbo, amuſsis eruditi-
onis expeditiſsima. Hæc animos hominum
exornat, ingenia acuit, ſenſus confirmat, ho-
mines ad rerum cęleſtium contemplationẽ
accendit, veram de Deo opinionem in hu-
manis mẽtibus producit: hæc inſuper vni-
uerſis perſuadet mortalibus, vt ita omnes

vitæ suæ disponant actiones, quasi earum rationem singulis diebus, immò horis, ac momentis, districto iudici sint reddituri. Tam vtilem, tam necessariam, tam excellentẽ virtutẽ, si quispiã à cõsortio literarum segregaret, eius ego literas illiteratas, doctrinã indoctã, insipientem sapientiam, vitam quoq; ipsam inuitam, & tám virtutibus quàm rectis moribus destitutam, semper profiterer. Nam licet solida & constãs eruditio, istam propriè vendicet sibi commendationem quod medicina humanæ mentis, & lux quædam nostrorum appelletur ingeniorum: nihilominus si huic medicinæ venenum impietatis, isti luci nebula quædam deprauati erga Deum affectus & cultus fuerit adiuncta: nec remedium ex medicinâ, nec vtilitas ex luce speranda. Sicut enim naturale alimentum, exiguâ aconiti guttâ, ita inficitur, vt pro salubri refectione, lugubrẽ ac funestum interitum adferat sumenti:

 pari

pari modo artes & ſcientiæ vera animorũm noſtrorum alimẽta, minimâ impietatis particulâ, ceu aconito quodam exitiali adeò deprauantur, vt pro ſanitate & perfectione furorem & amentiam mentibus inducãt humanis. Præſenſerunt à longè tantum impietatis virus, & ſummũ pietatis commodum veteres ſapientiæ cultores ac propagatores, cum Mineruam ſcientiarum inuentricem, non ab aliquâ Eumenide tartareâ productam, ſed è cerebro maximi & antiquiſsimi Deorum Iouis, prognatam ſunt fabulati; eiuſmodi figmento ſubſequentem poſteritatem (cui maiorem & veriorem pietatis lucem ex præſagio mentis pollicebãtur) edocere volentes, artes & ſcientias res eſſe ſacras ac diuinas, proptereaque dignas, quæ tum in honore pretioque habeantur, tum à pietate & Religione nullo vnquam tempore ſeparentur. Tamen neſcio quâ temporum iniuriâ & occulto hominum vitio cum ma-

xima

ximâ cõmunis felicitatis diminutione euenit, vt ad easdem artes & scientias, disparibus animis plurimi accedãt. Quidam enim scientiarum iucunditate, & honestatis specie attracti, literas ideo comparant ingenuas, vt subtilitate disputandi, & vbertate dicendi, scribendiq; polleant: hacq; ratione, tum præclarum nomen, tum quæstum sibi comparent vberrimum. Quidam publicæ honestatis atq; vtilitatis studio inflammati illud vnicum habent propositum, vt & virtutes quibus sub Sole nil dignius & præstãtius est, multiplici rerum cognitione, ceu quibusdam præsidiis potentissimis muniãt, & scientias virtutum splẽdoribus mirificè exornent. Illi auram tantummodo popularem, & vanam ingenii gloriam diuersis venantur ex partibus: hi solius virtutis habita ratione hoc vnicum cogitãt, vt in dies maiora accipiat incrementa & ornamenta. Illi scientiarum vi ad proximi detrimẽtum, &

ruinam

ruinam vtuntur atq; abutuntur: hi ſemper eundem portum tenent, ad eumq; ſingulas dirigunt actiones. Illi omnia regna, prouincias regiones, vrbes, oppida, vicos, motibus & tumultibus inſaniſsimis cõplent: hi turbas & diſſenſiones excitatas componunt, & ad optatam deducunt trãquillitatem. Neq; opus eſt de ſingulorum naturâ & moribus dicere ſeparatim ſolius pietatis deſertores, vel aduerſarios ſufficit in memoriam reuocare. Equidem malè ſemper cum his omnibus actũ fuit, & in hunc vſq; diem agitur, qui hanc reginam virtutum, & præcipuum decus mortalium pietatem, à literarum communione ſeparârunt, vel illi bellũ indixerunt ſempiternum. Non caruit eruditione ille totius Germaniæ turbo, totius orbis Chriſtiani tyrannus, Martinus Lutherus; at quia verâ & ſyncerâ pietate caruit, eiuſq; grauiſsimus, & infeſtiſsimus fuit aduerſarius; ideó & ſeipſum & ſequaces ſuos

stantis errorum & falsarum opinionum allisit scopulis, tantisq; cassibus illaqueauit, vt ex illis in hunc vsq; diem euadere, atq; expedire se nequaquam possint. Habuit non vulgarem rerum cognitionem insolentissimus Caluinus; at quia pietatem veram non habuit, debitas suæ insolentiæ in barathro luit pænas. Quâ ingenij subtilitate, quâ perspicuitate, quâ reconditarum scientiarum peritiâ præditus fuerit ille Porphirius? nemo nescit; nihilominus quia solidâ pietate fuit destitutus; non audax, sed extremè proteruus, non temerarius, sed insanus & vecors, planèque iniquus eruditionis illius possessor, à Sanctissimis viris iudicatus est. Ille ore sacrilego literas sacras contemnere, Christi & Apostolorum successores irridere, maiestatem diuinam insolenti metiri cerebro, recentem illam fidelium congregationem & Ecclesiam imprudentissimè & impudentissimè calumniari

ari

ari ausus est perduellio. Silentio inuoluo Iulianum Apostatam acerrimũ pietatis Christianæ persecutorem: taceo Zuinglium: prætereo Melanchtonem: Berengarium, Oecolampadium, Bezam, Carolstadium, Brentium, Velsium, Heschusium & alias pestes monstraque hominum, quorum impia eruditio, eruditaque impietas plurimas infecit & extremâ perniciè confecit nationes.
Istud præterire nec possum nec debeo, quod ad perfectam eruditionem, ad optatam felicitatem, tàm in præsenti quàm in subsequenti sæculo consequendam, non sit certius, nec firmius, nec securius adiumẽtum, atque est constans pietatis cum eruditione, eruditionis cum pietate copulatio. Cum enim natura humana primorum parentum depressa lapsu pessum tota feratur, non facile ad verum Dei amorem, ad rerum cælestium amplexum veniremus: nisi pietas erudita & piâ eruditio contumaces & re-

fracta-

fractarios hominum affectus tanquã equos insolentes & insitâ temeritate ferocitèr exultantes in viam virtutis deduceret aberrantes. Hæc siquidem secretis quibusdã inspirationibus clamat ad aures nostras, vt quosuis impudicos & virulentos detestentur sonos, qui sub specie iucunditatis, cor inquinare, mentem à virtutum tramite auocare posſint. Hæc præcipit oculis, ne quid intueantur, quod Deum bonorum omnium offenderet autorem. Cohibet linguam, ne quid loquatur, quod rectam proximi dimiueret existimationem. Retardat & remoratur palatum, ab omni alimento ad luxuriam, intemperantiam aliaq; vitia stimulante. Imperat cordi, ne quid amet ab amore Diuino remotũ & alienum, immò ne præter Deum rem vllam magis amet. Hæc insuper hortatur sensus omnes & membra singula, ne quam obeant functionem, quæ diuinam prouocaret iram, contineret offensam, ex-

poſceret vindictam. Quo fit, vt Iuuenes hiſce rebus tempeſtiuè aſſuefacti, in reliquo vitæ ſuæ curſu, Deum, eò ſtudioſius colant, ament feruentius, quò maiora & certiora à verâ pietate habent incitamenta: iam verò talibus deſtituti ſtimulis, ad ſcientiarum & virtutum faſtigium, vel nimis præpoſterè, vel nunquam proſperè perueniant. Atq; inde coniicere licet Audit: quid fuerit cauſæ; cur ſupremus ille rerum omnium opifex & gubernator, quanquam ſit idem ſingularis humani generis protector, idemq; ſummè benignus & miſericors, immò ipſa bonitas & miſericordia: multoties tamen in teneram mortalium prolem, nec ab ætate, nec à ratione ſatis firmatam, bello, peſte, fame, varijſq; morborum generibus ſæuierit: nimirum vt inſtrumentis hiſce Diuinæ ſuæ iuſtitiæ, planum faceret mortalitati, eos in progreſſu vitæ nequaquam meliores futuros, qui ſtatim à primâ pueritiæ aurorâ

euden-

euidētiſsima ſingularis impietatis, aliorũq; vitiorum dederint argumenta. Quod vt primum Maiores noſtri veræ pietatis amatores feruentiſsimi, & promotores diligentiſsimi, intellexerunt, inuicem ſe admonere ſolebant, vt prima Iuuenum ætas, honeſtè educaretur, piè inſtitueretur, diligentèr informaretur: atq; vt Scholæ quæ ſedes ſunt religionis, palæſtræ pietatis, ſcientiarum officinæ, virtutum domicilia, ſeminaria præſtantiùm virorum erigerentur, fundarentur. Præceptoribus verò tanquam ſecundis ingeniorum & virtutum parentibus, cùm debitus honos, tùm certa iuſtaq; præmia tribuerentur. Et merito. ſi enim plurimi à verâ fide alieni, liberè & ingenuè ſunt profeſsi, vitam noſtram pietate & religione ſuſtentari, hanc eſſe maximum legũ præſidium, certiſsimum ſapientiæ propugnaculum, perpetuum virtutum & variorum bonorum fontem: quantò nobis & no-

ſtris maioribus viris ad pietatem natis & in eâ educatis maiori curæ eſſe debuit? vt cum Scholis Religio quoq; Chriſtiana ſeruaretur, & ad poſteros integra & illibata tranſmitteretur: præſertim cum innumerabiles quotidie de religione contentiones & controuerſiæ à ſectatoribus diuerſarum Religionum excitarẽtur: quas præter pietatem eruditam nulla vis, nulla potentia, nulla facundia, non rigor legũ, non Principũ authoritas, non inſuper vehemens armorũ tẽpeſtas, ſedare ac componere vnquã potuiſſet. Habet enim iſtam vim Diuinitus datam eruditio pia, quod obduratas malitiâ atq; temeritate hominum mentes, non aliter quàm Orphei lyra ſaxa & lapides, aut Chelys Amphionis Delphinorum rabiem placare ac lenire poſsit. Nunquam profectò de Sacroſanctâ Triade, excitatæ diſſenſiones Nicæno in concilio compoſitæ fuiſſent: niſi viri piâ religioſâq; doctrinâ inſtructi ci-

ctі ci-

cti eidem adfuissent, & præfuissent. Nunquam expulsis hæreticis pacatæ & trãquillæ Ecclesiæ sub Constantinò Magno, & Theodosio Imperatoribus Romanis extitissent: ni pietatem ipsi Principes coluissent Religionem seriò defendissent; hacq; vnâ Respubl. firmari, pacem comparari, erigi trophæa, statuissent. Est siquidem vt præclarè quidam dixit, belli cuneus, imperiorum præsidium, vrbium & regnorum propugnaculum pietas: quâ sublata humanas quoq; vires tolli labefactariq; est necesse. Itaq; cùm priuatæ, tùm cõmunis vtilitatis gratia, pietas cùm eruditione, eruditio cùm pietate, vtraq; cùm rectis ac probatis moribus, cæterisq; virtutibus tempestiuè est cõiungẽda. Nam maturè prognata vitia cum non euelluntur, in primis profundas altiûs agunt radices, postea sensim grandescunt, vt tandem in processu firmiter inualescãt. Mihi quidem singula quæ proposui diligẽtiùs

ctiùs trutinâti, præter allatas ſuperius rationes, tanti videtur momẽti pius erga Deum affectus, vt ſi optio daretur inter rudẽ pietatem, & doctam impietatem eligendi: potius pietatem eruditione deſtitutã, quàm doctrinam impietatis veneno imbutã, cuperem & optarem. Non tantum ob iſtam rationem, quod ad trãquillitatem vitæ tám in præſenti quàm in futuro ſæculo conſequendam, plus nobis pietas quàm doctrina conferat adiumenti: ſed magis ideò quod feruentis pietatis beneficio, ipſa quoq; doctrina & multiplex rerum cognitio, acquiri poſsit ac comparari. Vt enim ob ignis vicinitatem, nihil poteſt fieri frigidiſsimum: ita homo qui per legitimum cultum & feruentem charitatem DEO ſapientiſsimo ac prudentiſsimo firmiter adhæret, ſtultus & inſipiens euadere non poteſt. Etenim Deus glorioſus ex immẽsâ & incredibili ſuâ miſericordiâ theſauros illos abſtruſos & recõ-

ditos

ditos ſapientiæ & ſcientiæ Diuinæ, omnibus illis promptiſsimè communicat, qui ad eos recipiendos vaſa idonea & capacia, mẽtes ſcilicet pias, caſtas, veræq; fidei lumine illuſtratas, maturè præparant ac diſponũt: Vt plena prudẽtiæ & veritatis ſint illa verba Græcorum Comicorum. Numen colẽti cuncta Numen miniſtrat: tum & illa Sacræ Scripturæ. Si ſapientiã inuocaueris & inclinaueris cor tuum prudentiæ, ſi quæſieris eã ſicut pecuniã & ſicut theſauros effoderis eam, tunc intelliges timorẽ Domini & ſcientiam Dei inuenies, quia Dominus dat ſapientiam & ex ore eius prudentia & ſcientia. Nec eſt opus longam ſeriem adducere rationum cum apertè quiſq; noſtrûm intelligat illa Eccleſiæ Catholicæ lumina & columina illa ſtupenda profundæ Sanctitatis & eruditionis exemplaria, Diuum ſcilicet Auguſtinum Hieronymum, Ambroſium, Baſilium, Euſebium, Bernardum,

Thomam Aquinatem, Albertum Magnum, & quem omnes secretò in animis vestris commemoratis tutelarem & Indigetē nostrum Diuum Ioannem Cantium, aliosq; innumerabiles, nullâ re aliâ ad tam sublimem in terris & in cælis excellentiam, aditum sibi præparâsse, nisi solâ verâ & syncerâ pietate. Pietas eos vt piè credimus, in vineā Christi vocauit, pietas vocatis cælestiū & humanarum rerum cognitionem impetrauit, sic instructis ad supremos quosuis in Ecclesiâ Dei honores viam parauit & mōstrauit; vbi verò officio suo functi sunt laudatissimè, eadem pietas in Capitolium illud cæleste, vbi Beatæ Mentes cum Triade Sanctissimâ æternū triumphant & perpetuâ fruuntur felicitate, deduxit eos fidelissimè. Vt præter omnem dubitationem longè beatiores illi sint, qui candidè modesti & modestè pij, quàm qui arrogantèr docti, insolentèr potentes, importunè tumidi, ali-

di, alijſq; vitijs nobiles & notabiles conſpiciuntur. Verè igitur vitæ dux, magiſtra morum, amuſsis eruditionis, parẽs laudabilium actionum pietas appellatur, quæ non tantum virtutes & ſcientias certiſsima & tutiſsima ingeniorum alimenta, non tantum varia fortunæ bona, ſed etiam quod magis mirandum, & feruentius deſiderandum eſt, cælum ipſum & diuitias cæleſtes, dicam clarius, Deum ipſum, & omnem eius gloriam generi conciliat humano. Hic iam quilibet noſtrûm tacitè ſe ipſum recolligat Audit: an iſtorum, quæ à verâ pietate in nos vberrimê promanant beneficiorum memores exiſtamus? an tam præſtantem, tam excellentem & ferè Diuinam virtutem, ita vt par eſt, colamus? adhibeamus? veneremur. Fuit quidẽ, fuit olim iſtud tẽpus, quo viguit hæc conſuetudo ſatis præclara, cum ſtudioſi iuuenes non prius ad libros, quàm ad preces ſe conferebant, nec

 magis

magis de occupationib9 Scholasticis, quàm de Orationibus Dominicis, aliisq; piis exercitiis, ne quando per incuriã omitterentur, soliciti fuere. Nunc vero pudet dicere dicẽdum est tamen, quis non videt? in plerisq; adeò decreuisse virtutem, & creuisse audaciam, singulari conditam impietate, vt eis tædiosum, immò etiam indecorum videatur, libros in tẽplo voluere precarios, vtroq; genu flectere, sacro Missæ sacrificio cũ attentione, & reuerentiâ interesse, aliaque hominis Christiani officia expedire. Non desunt fortè & tales, qui pudore & timore Dei postposito ac neglecto, corpore tantum solent esse in templo præsentes, animo verò & rectâ erga Deum volũtate penitus absentes: oculos quidem sursum attollunt, sed mẽtem & animũ mittunt deorsum: ore Deum precantur; ast corde extra Deum vagantur: vt aliquando præstaret eos, vel templum non ingredi, vel ex eo egredi citissimè, quã debita

bita pietatis Christianæ non facere argumẽta. Nec aliam ego arbitror rationem, cur in tantâ lectionum varietate, tãtâ fidelissimorum pariterq; laboriosissimorum præceptorum multitudine, tardè nimis alii proficiãt; quamuis omni contentione in literas incũbunt, multosq; annos in pistrino laboris scholastici operosè consumunt: præter istam, quod veram pietatem studio literario non adiungant. Nunquam enim temeritas cum sapientiâ commiscetur, nec in cor impii, & maleuoli hominis Spiritus Diuinissimus ingreditur. Verum enimuerò, nè humanissimas aures vestras, maiori quàm par est Orationis prolixitate detineam, propositum meum pluribus non prosequor: ad vos iam florentiss. atq; nobiliss. Iuuenes, præclara Academiæ germina, Selecti Sarmatiæ flosculi, spes Parentum optatissima, singulares Musarum deliciæ, orationem meam conuerto.

Vos pro candore & amore meo rogatos,

pro officio verò, quo in præsenti fūgor monitos esse volo, vt inter pietatem & eruditionem nullum vnquam faciatis diuortium, sed vtramq; simul nexu coniungatis sempiterno. Si enim pietas (vt iterum repetam) vocatur anima literarum, si appellatur seminarium præstantium actionum, fons omnis felicitatis, quis per Deum tam hebeti & tardo est ingenio, qui non intelligat? sine eius præsentiâ elumbem esse & vanam eruditionem, actiones inglorias, vitam inuitam & infelicem. Equidem hæ duæ virtutes Pietas & Eruditio, videntur mihi ceu duo quidam Cardines, quibus mundus iste inferior Græcis Microcosmos dictus, sustentatur. Velut duo luminaria, vnū maius, alterū min9, quæ humanas mētes ignorantiæ tenebris obductas, coniunctis viribus & vicibus illustrant: Velut duo tela potentissima, quibus in arenâ mundi huius cum naturâ, fortunâ, aduersisq; animi cogitationibus quotidie de-

certa-

certamus: velut duæ catenæ, vna ferrea Mercurij, altera aurea monstrorum Domitoris, quæ vniuersum defendunt & gubernãt orbẽ: ad extremũ ceu duo quidã comites fidissimi quorũ præsidio maxima quæq; discrimina longè securius euadimus: quàm vlysses Scyllam & Charybdim loca maris periculosa, perplexas & anfractuosas Labyrinthi vias, dulces Sirenarum cantus, venenosa Circes pocula aliaque mille discrimina comite Agenoria est transgressus. Cum igitur Optimi Iuuenes, istâ mẽte in hoc Musarum Parnasso, in hoc Prytaneo Sarmatico versemini, vt diuitias virtutum & eruditionis comparetis, ad has duas virtutes Pietatem & Eruditionẽ, quibus reliquæ omnes officiosum exhibent famulatum, tendite, contendite, aspirate. Hæ sunt propriæ nobilitatis Vestræ, hæ virtutis, indolis, ac ætatis. Ad studium earum mouent vos maiorum vestrorum stemmata, excitant Pa-

rentum vota & desideria, propinquorum consilia, Præceptorum preces atq; monita saluberrima, vt scilicet præsidio istarum virtutum muniti, fructus DEO gratos. Reip. vtiles, Parentibus exoptatos, Academiæ gloriosos, Vobis salutares & proficuos comparetis: hacque ratione gloriam præcedentium sæculorum vel adæquetis vel si optare licet superetis.

D I X I.

e

fl. – 3

